

- Inter hæresim, & schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis peruersum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest: ceterum nullum schisma non aliquam sibi constringit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.
- Item est hic pariter advertendum, quod non omnis recessus, seu separatio à Papa est schisma, sed solum recessus, & separatio ab ipso tamquam à Vicario Christi in terris, & Capite formaliter totius Ecclesie: Unde schismaticus non est, qui Romanum Pontificem tamquam Vicarium Christi in terris, & Caput formaliter Ecclesie recognoscit, eique qua formaliter Pontifici obedientiam præstat; sed non vult illum recognoscere tamquam temporalem dominum alicujus provincie, civitatis, & hujusmodi, eique obedientiam denegat, dum jubet ut arma deponat, bellum contra ipsum non gerat, & hujusmodi: Similes enim inobedientie, & recessus adhuc bene compatiuntur cum debita recognitione, & obedientia erga eundem tamquam Vicarium Christi in terris, & Caput formaliter totius Ecclesie Catholicæ, nec separant à vera Ecclesia, quatenus est corpus mysticum. Sic Communis.
- Item proprie schismaticus non est, qui se à quolibet alio Episcopo, etiam qua talis est, separat, eique obedire detrahat, vel se à solis membris alicujus particularis diocesis, & ecclesie disjungit. Schisma enim proprie dictum importat separationem, & recessum ab Ecclesia universali, & ejus formaliter Capite, non autem solam separationem, & recessum ab aliqua Ecclesia, & diocesi particulari, & ejus Diocesano, seu Episcopo: Quamvis tamen talis separatio, & recessus possit dici aliquo modo schisma large, & improprie. Communis, arg. cap. Scire 7. caus. 2. quest. 1. cap. Loquitur 18. caus. 24. quest. 1.
- Schisma proprie dictum, & acurum differt ab hæresi in hoc, quia hæresis per se, & directe opponitur fidei negando, seu non concedendo unum, aut plures fidei articulos; schisma vero opponitur charitati, Ecclesie unitatem, quæ in charitate consistit, scindendo. Communis cum S. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. Reiff. lib. 5. Decret. tit. 8. n. 7. Pirhing. lib. 2. Unde schisma, & hæresis differunt inter se sicut genus, & species, ut docet Glossa communiter recepta in cit. cap. Inter Hæresim 26. caus. 24. quest. 3. verb. Et Schisma. Nam omnis hæreticus est etiam schismaticus, quia eo ipso, quod quis falsum dogma, & Ecclesie doctrinam, & definitioni contrariam credit, ut hæreticus, est etiam schismaticus, quatenus ab Ecclesia unitate recedit, & se separat, erroneam, & ei contrariam doctrinam sectando. Non tamen omnis schismaticus est etiam hæreticus, quia potest quis omnes articulos fidei ab Ecclesia definitos, & propositos credere, & credendo etiam Romanum Pontificem esse verum, & unicum universalem Ecclesie Caput, sed ex malitia, seu prava voluntate nolle ipso facto eum pro Capite Ecclesie recognoscere, eique obedire, nec aliis membris Ecclesie uniri, seu conjungi. (Lit. B. pag. 149. in noviss.)
- Hinc constat, schisma esse errorem voluntatis, & non intellectus, ut est hæresis; schismaticus enim constituitur per contemptum, contumaciam, & inobedientiam, qui actus sunt voluntatis. Ursaya Institut. crim. lib. 1. tit. 7. num. 4. & alii passim.
- Schismatici proprie dicti, seu puri, & nullam conjunctionem habentes hæresim, pluribus subjacent penis. Prima talium schismaticorum pena est excommunicatio major. Colligitur ex cap. Nulli fas 5. dist. 19. cap. De Liguribus 43. caus. 23. quest. 5. Et expresse habetur in Bulla Cene §. 1. ibi: Excommunicamus schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt.
- Secunda pena est privatio jurisdictionis ecclesiasticæ: Unde omnes collationes beneficiorum, alienationes rerum ecclesiasticarum, sententiæ censurarum, absolutiones &c. à schismaticis factæ ipso jure sunt irritæ, cap. Novitiamus 6. caus. 7. quest. 1. cap. Didici-

- mus 31. caus. 24. quest. 2. ibi: Didicimus schismaticos nil habere juris, & potestatis, & expresse cap. Quod à Prædecessore 1. de schismaticis, in cuius Summario sic dicitur: Irrita sunt ordinationes, beneficiorum collationes, & ecclesiasticarum rerum, alienationes per schismaticos factæ.
- Quoad Ordinationem autem citat. cap. Quod à Prædecessore 1. de schismaticis, & cap. Ordinationes 5. caus. 9. quest. 1. ubi disponitur, quod si factæ fuerint à schismaticis, sint nullæ, & irritæ, debet sic intelligi, nempe quod accipiens Ordines à schismatico sit suspensus ipso facto ab executione eorum: Ordines tamen recepti valeant, & characterem imprimant. Sic Communis Doctorum cum Glossa in cit. cap. Quod à Prædecessore, verb. Irritas.
- Tertia pena est inhabilitas ad beneficia, & dignitates ecclesiasticas, & præsertim episcopalem, cap. Quia diligentia 5. de electione, & cap. Ad succidendos unio. de schismaticis in 6. Et quamvis in citat. cap. Ad succidendos... varii Doctores teneant, schismaticos privandos esse etiam beneficiis omnibus ante schisma obentis; quia tamen dicta Bonifacii VIII. constitutio citat. cap. Ad succidendos fuit revocata à Benedicto XI. Extrav. unic. de schismaticis inter Communem, sola excepta confiscatione bonorum ibidem statuta, ideo nos dicimus tales schismaticos non incurere penam privationis beneficiorum ante schisma rite obtentorum. Sic Garcias de beneficiis part. 11. cap. 10. num. 151. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 36. num. 16. Pirhing. lib. 5. Decret. tit. 8. num. 7. Reiffenstuel ib. num. 11. & alii.
- Quarta pena est confiscatio omnium bonorum, citat. cap. Ad succidendos unio. de schismaticis in 6. cum aliis Juribus adductis à Card. de Albic. de Inconstant. in fide part. 1. cap. 10. num. 41.
- Quinta pena est ultimum etiam supplicium durante eorum contumacia; cap. Non vos 22. & cap. de Liguribus 43. caus. 23. quest. 5. cum aliis apud Farinac. quest. 184. num. 51. & 52. Cardin. de Albic. loc. citat. num. 42.
- Schismatici mixti, seu habentes adjungam hæresim, quales hisce temporibus sunt fere omnes schismatici, uti jam dictum est supra num. 8. subjacent omnibus penis, quibus subjacent hæretici; Unde vide verb. Hæreticus.
- Si tempore schismatis sint duo, aut plures Pontifices, & unus sit certus, ei soli est ad hærendum; Unde quis aliter faceret, & aliter schismatico Pontifici, seu Antipapæ adhererent, essent & ipsi schismatici. Communissima. Immo in tali casu schismatico Pontifici, seu Antipapæ adherentes de fautoria hæretici puniri debent. Concil. Constantiens. sess. 12.
- Si tempore schismatis sint duo, vel plures Pontifices, & nesciatur quis sit vere legitimus Papa, tunc nulli est ad hærendum, donec Ecclesia provisum sit de certo Pontifice, & interim recte & tute quisque se gereret adherendo suis Episcopis, & Parochis cum animo parato adherenti illi, quem Ecclesia Christi ut verum Papam receperit. Sic Communis Doctorum cum Suarez disp. 12. de schismate sect. 1. num. 1. Reiffenstuel lib. 5. Decret. tit. 8. num. 17. & seq. & Bassæo tom. 2. vers. Schisma, num. 5. ubi insuper citat Cajetanum, Silvestrum, & alios. Quamvis tamen Sayrus in thesauro lib. 3. cap. 1. num. 22. & alii censeant, quod quando duobus, vel pluribus de Pontificatu contendentibus, vere nescitur quis sit legitimus Pontifex, nec per Concilium Generale res adhuc sit terminata; & tunc tamen ipsi, quæ eorum sequaces à peccato excusentur, dummodo vero animo parati sint ipsi præteriti Pontifices ad determinationem Generalis Concilii à Papatu se abdicare, & ipsi eorumque sequaces illi statim adherere, quem Concilium Generale, seu Ecclesia Christi ut verum Papam habuerit.
- Tempore schismatis, si commercia civilia sine scandalo tolli nequeant, permittendum est, quod Catholicum cum schismaticis communicent, Sic declarasse Sacram Congregationem de Propaganda Fide de anno 1666. referet ex Nicolio Ursaya Institut. crim. lib. 1. tit. 7. n. 24.

SCHISMATICA PROPOSITIO. Vide verb. Propositiones Damnatæ num. 29.

SCIENTIA CONFESSARII. Vide verb. Confessarius art. 1. d. num. 48. ad 51.

## SCRIPTURA SACRA.

## SUMMARIUM.

- Scriptura sacra unde dicatur Biblia.
- Scriptura sacra quid sit.
- Volumen scripturae sacre est aggregatum quoddam ex septuaginta duobus Canonicis libris particularibus, scilicet quadraginta quinque veteris Testamenti, & viginti septem novi Testamenti in unum codicem redactum.
- Assignantur dicti septuaginta duo libri canonici.
- Prædictus numerus librorum canonicorum sacre scripturae non est novus, sed antiquissimus in Ecclesia Catholica, & receptissimus.
- Dicti Libri quare dicantur Canonici.
- Libri spectantes ad testamentum veteris dividuntur in quatuor classes, scilicet in legales, historiales, sapientiales, & prophetales, & assignantur omnes.
- Libri spectantes ad testamentum novum dividuntur & ipsi in quatuor classes, scilicet legales, historiales, sapientiales, & prophetales, & assignantur omnes.
- Recollectio dictorum omnium librorum vocatur Testamentum veteris, & novum duplici ratione, quæ assignatur.
- Cur unum ex ipsis vocetur testamentum veteris, & aliud Testamentum novum.
- Omnes supradicti libri, tum veteris, tum novi Testamenti, sunt ab omnibus pro sacris, & canonicis, seu à Deo inspiratis habendi, & qui ipsos omnes ut tales non susceperit, aut aliquam virtutem in ipsis contentam negaverit, erit hæreticus.
- Libri alii duo, scilicet tertius, & quartus Esdrae, non sunt ab Ecclesia recepti pro Canonicis, quorumvis sint magna auctoritas.
- Et tanto minus habentur pro canonicis liber tertius, & quartus Machabeorum.
- Item pro canonicis non habentur ab Ecclesia plura Evangelia, quæ sub nomine discipulorum Apostolorum circumferuntur conscripta, sicuti nec pro canonicis habentur varii alii libri, de quibus omnibus fit mentio in cap. Sancta Romana 3. dist. 15.
- Ex libris sacris plures, & plures perierunt, & assignantur varii ex illis.
- Prima editio sacre scripturae facta est hebraice quoad fere totum veteris Testamentum.
- Quo vero ad fere totum Testamentum novum facta est graece.
- Secunda editio sacre scripturae quoad totum Testamentum veteris est paraphrasis Chaldaica.
- Paraphrasis in quo differat à Translatione, seu Versione, & quid sit.
- Tertia editio sacre scripturae quoad totum Testamentum veteris fuit septuaginta Interpretum. Et assignatur ubi, & quomodo ab ipsis facta fuerit, ad num. 23.
- Supradictis versionibus graecis successerunt latinae, Testamentum veteris ex hebraeo, & Testamentum novum ex graeco transferentes, & ista versiones latinae sunt innumerae.
- Ex omnibus autem latinis versionibus, & editionibus, sola vetus, & vulgata editio est vere authentica, & pro tali ab omnibus habenda.
- Auctor hujus vulgatae editionis quis fuerit.

- 27 *Sensus sacre scripturae generatur, ac primo sui divisione est duplex, nempe literalis, & spiritualis, seu mysticus.*
- 28 *Quis sit sensus literalis, & quis spiritualis, seu mysticus.*
- 29 *Sensus literalis subdividitur in proprium, & improprium, seu transcriptum vel figuratum.*
- 30 *Quis sit sensus proprius, & quis improprius, seu transcriptus, vel figuratus.*
- 31 *Item sensus spiritualis, seu mysticus subdividitur in allegoricum, analogicum, & tropologicum, seu morale.*
- 32 *Assignatur sensus allegoricus.*
- 33 *Assignatur sensus analogicus.*
- 34 *Assignatur sensus tropologicus, seu moralis.*
- 35 *Unde summam quatuor sensus sacrae scripturae, scilicet literalis, allegoricus, tropologicus, & analogicus contenti in duobus versiculis, qui afferuntur.*
- 36 *Omnes dicti quatuor sensus possunt reperiri in uno sacrae scripturae passu, & afferuntur exempla.*
- 37 *Non possunt tamen omnes dicti sensus in quolibet sacrae scripturae passu reperiri, & afferuntur exempla.*
- 38 *Quomodo sacra scriptura interpretatio doctrinalis, & magistralis possit fieri a viris doctis, & idoneis, tamen interpretatio canonica, & infallibilis veri illius tenendi sensus, pertinet solummodo ad Sanctam Matrem Ecclesiam.*
- 39 *Sacra scriptura nequit legi lingua vulgari, nisi ab habentibus ad id legitimam facultatem.*
- 40 *Unde merito condemnatae sunt propositiones id omnibus concedentes, & afferuntur.*
- 41 *Sacra scriptura abutenes in sortilegiis, incantationibus, divinationibus &c. juris, & arbitrii panis debent ab Episcopo puniri.*
- 42 *Sacram scripturam convertentes ad usus profanos, verba jocosa, scurrilosa fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstationes, sortis, libellos etiam famosos, eodem modo puniri debent.*
- 43 *Sacrae scripturae Lector, seu Expositor tenendus est in Metropolitana, Cathedralibus, & Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido.*
- 44 *Et talis lector est examinandus ab Episcopo.*
- 45 *Sacrae scripturae Lector tenendus est etiam in monasteriis Regularium. Et Episcopus ut Papa Delegatus potest ad hoc compellere Superiores.*
- 46 *At iste Lector pro monasteriis Regularium non debet, nec potest examinari ab Episcopo.*
- 47 *Sacrae scripturae lectio in conventibus Regularium debet fieri bis in hebdomada.*

**S**criptura sacra dicitur *biblia*, a voce graeca *biblion*, quae libellum significat. Unde antonomastice sacra scriptura vocatur *liber*, eo quod sit omnium librorum liber, tum sui origine, tum sanctitate, tum praesertim utilitate, iam figuratus in illo, quem vidit Joannes in Apocalyps. cap. 5. ubi: *Et vidi in dextera Sedentis super thronum librum scriptum intus, & foris.*

**S**criptura sacra, quae brevier definitur *Verbum Dei scriptum*, fusius, & clarius definitur, quod sit *volumen sacrum dictante Spiritu Sancto ad salutem hominis conscriptum, & ut tale ab Ecclesia receptum. Est in re Communis.*

**D**ictum sacrum volumen est aggregatum quoddam ex septuaginta duobus canonicis libris particularibus, scilicet quadraginta quinque veteris Testamenti, & viginti septem Testamenti Novi, in unum codicem redactum; *Communis, ac certa.* Dicitur autem septuaginta duo libri canonici sunt sequentes repositi a Concilio Tridentino sess. 4. in decreto de canonicis scripturis, nempe *Veteris Testamenti. Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri.*

*Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium, Davidicum, Parabole, Ecclesiastes,*

*Job, Canticum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae Minores, id est, Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabeorum, primus, & secundus: Novi Testamenti quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim Epistole Pauli ad Romanos, duas ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesos, ad Philippenses, ad Colosenses, duas ad Thesalonicenses, duas ad Timotheum; ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos, Petri Apostoli duas, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Jude Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.*

Prædictus numerus librorum canonicorum sacrae scripturae non est novus, sed antiquissimus in Ecclesia Catholica, & recessivissimus: Omnes enim prædicti libri inter canonicos recepti sunt in Concilio Carthaginiensi cap. 47. celebrato anno 397. Item in Concilio Romano I. sub Gelasio Papa celebrato anno 494. Atque in aliis subsequentibus Conciliis, & praesertim in Concilio Florentino in decreto Unionis. Unde dicti libri canonici dicti sunt, vel quia continent normam, & regulam, quam in Fide, & moribus sequi tenemur; Canon enim graece, latine regula nuncupatur, textu expresso in cap. Canon 1. dist. 3. vel potius quia in catalogum librorum divinatorum sunt ab Ecclesia in dictis Conciliis relati.

Libri spectantes ad Testamentum veteris dividuntur in quatuor classes, scilicet in *legales, historiales, sapientiales, & prophetales. Legales* sunt quinque libri Moysis, seu Pentatheucus, id est, *Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Historiales* sunt *Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Machabeorum, Job, Esdrae, Tobias, Judith, Esther. Sapientiales* sunt *Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus. Prophetales* sunt *Psalmi. Quatuor Majores Prophetæ, Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, & duodecim Minores, Oseas, Joel, Amos, Micheas, Abdias, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias.*

Libri spectantes ad Testamentum novum dividuntur & ipsi in quatuor classes, scilicet *legales, historiales, sapientiales, & prophetales. Legales* sunt quatuor Evangelia *Matthaei, Marci, Lucae, & Joannis. Historiales* sunt *Actus Apostolorum. Sapientiales* sunt *quatuordecim Epistole Divi Pauli, una Divi Jacobi, duae Divi Petri, tres Divi Joannis, & una Divi Jude Thaddaei. Prophetales* tandem *Apocalypsis Beati Joannis Apostoli.*

Recollectio dictorum omnium librorum vocatur *Testamentum vetus, & novum duplici ratione: Prima* quia sicuti Testamentum est charta scripta, in qua continetur ultima voluntas hominis, sic in illis libris continetur ultima Dei voluntas, & lex, quam Deus vult ab hominibus servari. *Secunda* quia sicuti Testamentum est, quo bonorum temporalium defertur hereditas intercedente testatoris morte, qua contingente, cum esset antea clausum & obsignatum, aperitur, ita per dictos libros sacros defertur nobis hereditas bonorum caelestium, & Christi morte in ea confirmatur, iisque aperti legitimos nos esse Dei haereditas, & coheredes Christi.

Unum autem ex dictis duobus Testamentis vocatur *Vetus*, quia ipsum tanquam jam antiquatum, & in veteratum desit obligare adveniente *Novo*, ut patet in testamentis, quorum primum jam cessat valere adveniente ejusdem testatoris secundo. Et aliud vocatur *Novum* propter novitatem spiritus, quam affert lex christiana in eo contenta, quae novos effectus, novosque ardore erga Deum excitat in iis, qui illam amplectuntur, & vere observant; unde a veteri Testamento ad Testamentum novum proceditur tanquam a figura ad suum figuratum, a signo ad suum signatum, & a parabola ad suam veritatem, quae lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est, ut expresse habetur Joannis cap. 1. num. 17.

Om-

- 11 *Omnes prædicti libri, tum veteris, tum novi Testamenti sunt ab omnibus pro sacris & canonicis, seu a Deo inspiratis habendi, & qui ipsos omnes ut tales non susceperit, aut aliquam veritatem in ipsis contentam negaverit, erit haereticus; Unde Conc. Trident. sess. 4. in decreto de canonicis scripturis post enumeratos supra prædictos omnes libros sic expresse concludit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, anathema sit.**
- 12 *Libri alii duo, scilicet tertius, & quartus Esdrae non sunt ab Ecclesia recepti pro canonicis, quamvis sint magna auctoritas, & a Sixto V. in sacris biblis post libros canonicos una cum Oratione Manasse fuerit appositus, ne penitus pereant, & ut a Patribus citati reperiantur.*
- 13 *Et tanto minus pro canonicis habentur ab Ecclesia liber tertius, & quartus Machabeorum, cum ipsi sint, & a canone, & a biblis penitus exclusi, ut patet.*
- 14 *Item pro canonicis non habentur ab Ecclesia plura Evangelia, quae sub nomine diversorum Apostolorum, ut *Thomae, Andrae, Bartholomaei, Thaddaei, Barnabae &c.* circumferuntur conscripta. Sicuti nec pro canonicis habentur alii libri, de quibus omnibus fit mentio in cap. Sancta Romana 3. distincti. 15. ibique a Gelasio Papa pro Apocryphis declarantur.*
- 15 *Ex libris sacris plures, & plures perierunt. Ita S. Joannes Chrysostomus Homil. 9. in Matr. & Homilia 7. in primam ad Corinth. Bellarmin. tom. 1. de Verbo Dei lib. 4. cap. 4. Abulensis in num. cap. 21. quaest. 3. & alii communiter; Et hoc clare constat ex pluribus locis ipsiusmet sacrae scripturae. In primo enim libro Paralipomenon cap. ultim. fit mentio libri Samuelis vidensis, & libri Nathan Prophetae, atque libri Gad videntis, ibi: *Gesta autem David Regis priora, & novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophetae, atque in volumine Gad videntis.* Et 2. Paralipomenon cap. 9. fit mentio libri Nathan Prophetae, libri Ahie Silonitis, & libri Addo videntis, ibi: *Reliqua autem opera Salomonis priorum, & novissimorum scripta sunt in verbis Nathan Prophetae, & in libris Ahie Silonitis, in visione quoque Addo videntis.* Et ibidem cap. 12. fit mentio libri Semeje Prophetae, & libri Addo videntis, ibi: *Opera vero Roboam prima, & novissima scripta sunt in libris Semeje Prophetae, & Addo videntis.* Et ibidem cap. 20. fit mentio libri Jehu filii Anani, ibi: *Reliqua gestorum Josaphat priorum, & novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Anani.* Et 3. Reg. cap. 4. fit mentio de libro trium millium Parabolarum, & Carminum quinque & mille Salomonis ibi: *Logustus est quoque Salomon tria millia Parabolas, & fuerunt Carmina ejus quinque & mille.* Et ibidem cap. 11. fit mentio de libro verborum dierum Salomonis, ibi: *Ecce universa scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis.* Et ibidem cap. 14. fit mentio libri sermonum dierum regum Juda, ibi: *Ecce scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Juda.* Et 2. Machabeorum cap. 2. fit mentio libri Jasonis Cirenæi, ibi: *Itemque ab Jazone Cirenæo quinque libris comprehensa.* Et ad Colossenses cap. 4. fit mentio Epistole B. Pauli Apostoli scriptae ab ipso ad *Laodicenses*, ibi: *Et cum lecta fuerit Epistola haec, facite ut & in Laodiceniis Ecclesia legatur, & eam, quae Laodiceniis est, vos legatur.* Et in Epistola Catholica *Jude Apostoli* fit mentio de libro Enoch Prophetae, ibi: *Prophetae autem & de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis &c.* Omnes autem prædicti sacri libri, & alii brevitas gratia relictis, tum veteris, tum novi Testamenti, Deo permittente perierunt, vel quia homines desides eos non custodierunt, vel quia impie eos combusserunt, vel quia se illis indignos praebuerunt, vel ab aliis causis ipsi soli Deo notas.*
- 16 *Prima editio sacrae scripturae facta est hebraice quoad fere totum Testamentum. Sic Communior, & fere*

*omnium sententia. Dicitur autem notanter: Quoad fere totam, quia libri Esdrae, & Daniells, teste S. Hieronymo Epist. 120. praefat. in Daniel. scripti sunt lingua chaldaica, sicuti nonnulli asserunt de libro Tobiae, libro Judith. Librum autem Sapientiae vult Sanctus Hieronymus Epist. 115. ad Chromaticum fuisse scriptum lingua graeca, sicuti eadem lingua graeca fuisse scriptum librum 2. Machabeorum testatur idem Hieronymus in prologo Galeato.*

*Aliqua scilicet eorum capita, ut patet hebraicam veritatem consulenti.*

Quo vero ad fere totum Testamentum novum facta est graece. *Sic fere Communis opinio. Apostolorum enim tempore apud Judaeos valde familiare erat idioma graecum. Dicitur autem notanter: Quoad fere totum, quia Evangelium Matthaei fuit ab ipso scriptum lingua hebraica, ut tenent fere communiter Doctores cum S. Hieronymo lib. de scriptoribus ecclesiasticis num. 5. ubi loquens de S. Matthaeo sic expresse dicit: *Evangelium Christi hebraicis literis verberibus composuit. Et Evangelium Marci secundum communem opinionem fuit ab ipso scriptum primo lingua latina in gratiam Romanorum, & secundo lingua graeca in gratiam Alexandrinorum.* Et epistola ad Hebraeos, ut tenent communiter sententia cum Sancto Hieronymo libro de scriptoribus ecclesiasticis num. 15. fuit scripta lingua hebraea.*

*Vide tamen prolegomen. eruditissimi Augustini Calmet, ubi contrarium adstruit.*

*Secunda editio sacrae scripturae quoad totum Testamentum vetus est paraphrasis chaldaica; tota enim scriptura vetus translata est Paraphrastice ex hebraeo in chaldeum, quam paraphrasim ipsi hebraei Targum vocant, ut recte notat Cardin. Bellarmin. tom. 1. de Verbo Dei lib. 2. cap. 3. Haec paraphrasis chaldaica tres habet Auctores, scilicet R. Onkelum, R. Jonatham Uricelium filium, & R. Joseph Caeum, qui omnes quilibet pro sua parte totam veterem scripturam in chaldaicum transtulerunt. Paraphrasis autem in hoc differt a translatione, seu versione, quod in translatione, seu versione, verba Auctoris transferantur in aliam linguam sine additione, & mutatione, seu de verbo ad verbum; In paraphrasi autem verba Auctoris transferantur in aliam linguam cum additionibus, & mutationibus, & in ipsa magis sensus de sensu, quam verbum de verbo exprimitur; Unde paraphrasis juxta communem intelligentiam est: *explicatio rei per sermonem copiosorem, & dilucidior.**

*Tertia editio sacrae scripturae ex hebraico in graecum quoad totum Testamentum vetus, ut docet probabilior sententia, fuit septuaginta Interpretum, qui anno Ptolomaei Philadelphii 17. & ante Christum 272. inclusi in cellulis separatim totum vetus Testamentum ex hebraeo in graecum transtulerunt 72. dierum spatio non sine spirituali Spiritus Sancti assistentia, cum separatim scribentes quisque in sua propria cellula seorsim ab aliis non solum in eundem sensum, ac in eadem sententias, sed etiam in eadem verba, eandem verborum seriem, immo & in eosdem apices coinciderit: Hinc S. Joannes Chrysostomus homil. 3. in Genesim haec translationem vocat *verum miraculum.* Sic tenent S. Justinus in oratione exhortatoria ad Gentem, ubi dicit se apud Alexandriam vestigia harum cellularum vidisse; S. Irenaeus lib. 3. cap. 23. S. Cyril. Cathedra 4. S. Clemens Alex. lib. 1. Stromat. S. Augustin. lib. 18. de Civit. Dei cap. 42. & alii Recentes citantes pro hac sententia Philonem. lib. 2. de vita Moysis, Tertullianum in Apologetico cap. 19. & Sanctum Joannem Chrysostomum homilia 5. in Matthaeum, & sic plurimi alii contra alios, & signanter contra S. Hieronymum Epist. 104. praefat. in Pentatheucum, ubi expresse negat, & ridet historiam hanc de tot cellulis separatim: *Nescio, inquit, quis primus Auctor septuaginta cellulas Alexandriae mendacio suo extruxerit &c.**

Unde dictus S. Hieronymus tenet, quod septuaginta duo Interpretes, senes viri hebraei ex qualibet Tribu filiorum Israel utriusque linguae, scilicet hebraeae, & graecae peritissimi, spatio dierum septuaginta duo-

duorum in eadem basilica sedentes, & inter se conferentes sacram scripturam transulerint: Et hoc probat testimonio Aristæ in historia de hac ipsa re, qui Aristæ negotio interfuit: & expressè dicit, quod ipsi simul conferendo singulis diebus usque ad horam nonam, hanc versionem tandem septuaginta duobus diebus absolverint. Idemque confirmat testimonio Josephi Hebræi, qui licet esset cupidissimus gloriæ suæ gentis, tamen lib. 12. antiquitat. cap. 2. referens hanc historiam, nequidem mentionem facit de dictis separatibus cellulis. Sic etiam Eusebius videtur fuisse ejusdem opinionis, quia libro octavo de preparat. Evang. cap. 1. narrat rem totam sine ulla mentione de dictis separatibus cellulis referens ad verbum quæ habentur in libro Aristæ.

22 Sanctus Epiphanius autem in libro de mendaciis, & ponderibus contra fere omnium sententiam ponit solum triginta sex cellulas, cum alii vel septuaginta duas, vel nullas ponant; scribitque dictus Sanctus Epiphanius, quod hi interpretes bini, & bini fuerint inclusi in cellulis triginta sex, & divino miraculo singula paria ipsorum iidem verbis totam scripturam transtulerint, ita ut simul confecerint triginta sex exempla ejusdem prorsus versionis.

23 Sanctus Augustinus vero, licet lib. 8. de civitate Dei cap. 42. videatur consentire cum iis, qui affirmant dictas cellulas, ut patet supra num. 11. Tamen lib. 2. de doctrin. christian. cap. 15. non audeat absolute rem affirmare; Sed illud ab omnibus decantatum de istis Interpretibus, quod quasi uno ore scripturam vertent, rectissime intelligi posse significat, tam secundum eos, qui cellulas affirmant, quam secundum illos, qui ipsas negant. De cellulis enim non habetur certa sententia, cum scriptores abierint in diversa.

24 Supradictis versionibus græcis successerunt latine Testamentum vetus ex hebræo, & Testamentum novum ex græco transferentes, & istæ versiones latine sunt innuente, ut patet ex S. Hieronymo epistol. 105. Præfat. in Josue: cum apud Latinos tot sint exemplaria, quot codices, & unusquisque pro arbitrio suo addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est.

25 Ex omnibus autem Latinis versionibus, & editionibus sola vetus, & vulgata editio est vere authentica, & pro tali ab omnibus habenda. Sic expressè statuit Concil. Tridentin. sess. 4. in decreto de editione, & usu sacrarum librorum, libi: "Insuper eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrarum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo totæ seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, predicationibus, & expositionibus, pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat."

26 Auctor hujus vulgatæ editionis non est unus solus, ut rectè advertit Bellarminus tom. 1. lib. 1. de verb. Dei cap. 21. vers. Nam vulgata... ubi sic expressè habet: "Nam vulgata editio non est unius Auctoris, sed quædam habet ex S. Hieronymo, quædam ex alio quodam Interprete innominato." Ita tamen ut fere tota sit à Sancto Hieronymo, aut versore, aut aliorum correctore ut notant passim Doctores.

27 Sensus sacræ scripturæ generatim, ac prima sui divisione est duplex, nempe unus literalis, & aliter spiritalis, seu mysticus Communis inter Catholicos.

28 Literalis sensus est ille, quem verba ipsa immediate significant, ita ut sensus literalis sit præcisus sensus literæ, seu verborum. Sensus autem spiritalis, seu mysticus est ille, quem non immediate verba ipsa significant, sed solum mediate, nempe mediis illis rebus, quas verba immediate significant, ita ut sensus spiritalis, seu mysticus sit sensus rerum secundum mysterium. Sic eadem verba eodemque loco significant literaliter, & spiritaliter, seu mystice, ut patet in Epistola Pauli Apostoli ad Galatas, cap. 6. ubi eadem verba, quæ literaliter indicant, quod Abraham

duos filios habuit, unum de Ancilla, & unum de Libera, spiritaliter seu mystice significant vetus, & novum Testamentum, ut ibidem expressè dicit Apostolus: Hæc enim sunt duo Testamenta. Item eadem historia Agni Paschalis Exodi cap. 12. literaliter significat ritum Agni Paschalis à Judæis olim immolandi, spiritaliter vero, seu mystice significat Christum pro salute totius mundi in ara crucis postmodum immolatum. Item eadem verba in uno loco sacræ scripturæ significant literaliter, & in alio spiritaliter, seu mystice, ut patet de eodem hoc verbo Aqua, quæ primo Genesis literaliter significat elementum, ibi: Congregentur aquæ in locum unum, & in Psalm. 65. Spiritualiter significat tribulationem, ibi: Transivimus per ignem, & aquam. Et Joann. cap. 4. mystice significat donum Gratia, ibi: "Si scitis donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses, & dedisset tibi aquam vivam." Et Joann. cap. 3. Mystice, seu spiritaliter significat Baptismum, ibi: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei." Et sic de aliis.

Sensus literalis subdividitur in proprium, & improprium, seu translatum, vel figuratum. Communis Proprius est ille, quem verba in propria, & primaria sua significatione capta immediate significant. Sic aqua proprie significat elementum terram abluens, ignis proprie significat elementum calefactivum, & combus-tivum, & sic de aliis. Improprium, seu translatus, vel figuratus est ille, quem verba improprie, seu figurate, & tropice accepta significant. Sic Christus Dominus improprie, seu tropice, & figurate per metaphoram, seu similitudinem, & non per proprietatem, dicitur Leo, Petra, Vitis, & hujusmodi. Sic Doctores communiter.

Item sensus spiritalis, seu mysticus subdividitur in allegoricum correspondentem fidei, anagogicum correspondentem spei, & in tropologicum, seu morale correspondentem charitati: Juxta enim numerum declarationum trium virtutum theologiarum assignantur tres dicti sensus mystici sacræ scripturæ ipsis correspondentes. Communis.

Sensus allegoricus correspondens fidei est, cum verba sacræ scripturæ ultra sensum literalem significant, & ostendunt aliquid credendum. Dicitur enim allegoricè à nomine græco aleon, quod est alienum, & à Logos, quod est sermo, quasi sit alienus sermo ab eo, quem verba literaliter important. Communis.

Sensus anagogicus correspondens spei est, cum verba ultra sensum literalem significant, & ostendunt aliquid sperandum in æterna Beatitudine; dicitur enim anagogicus à nomine græco, ana, quod est sursum, & à Goge, quod est ductio, quasi sit quod sursum ducens, seu locutio nos ducens à terrenis sursum ad cœlestia. Communis.

Sensus tropologicus, seu moralis correspondens charitati est cum verba ultra sensum literalem significant, & ostendunt aliquid moraliter agendum, seu aliquid opus charitatis exercendum: Dicitur enim Tropologicus, à nomine græco Tropos, quod est conversio, & à Logos, quod est sermo, quasi sit sermo conversus ad morum Institutionem. Communis.

Unde juxta hucusque dicta clare inferitur, quod summam sunt quatuor sensus sacræ scripturæ, scilicet literalis, allegoricus, tropologicus, & anagogicus, omnes breviter contenti in his duobus versiculis.

Litera gesta docet, quid credas allegorica,  
Moralis quid agat, quid speres anagogica.

Omnes dicti quatuor sensus possunt reperiri in uno sacræ scripturæ passu, ut clare patet in Epistola Apostoli ad Galatas cap. 4. ubi aperte exprimentur omnes in filiis Abrahæ. Immo omnes dicti quatuor sensus reperiuntur in hac voce Jerusalem, quæ literaliter significat urbem Palestinæ. Allegorice significat Sanctam Ecclesiam militantem à nobis credendam, juxta illud Apocalyp. 25. Vide Civitatem Sanctam

tam Jerusalem novam descendentem de cælo à Deo paratam sicut sponsam ornata virgo suo. Tropologicè, seu Moralitèr significat animam nostram sanctis moribus, & virtutibus ornandam juxta illud Jeremia cap. 31. Jerusalem, Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum. Anagogice significat Ecclesiam Triumphantem, scilicet patriam cœlestem à nobis sperandam, juxta illud Apostoli ad Galatas cap. 4. Illa quæ sursum est Jerusalem, est libera, quæ est mater nostra.

Non possunt tamen omnes dicti sensus reperiri in quolibet sacræ scripturæ passu, multi enim allegari possunt sacræ scripturæ passus, ubi nullus est sensus mysticus, sed solummodo literalis; ut patet in illo Matthæi cap. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et in illo Marci ultimi: Euntes docete omnes gentes, & sic in plurimis similibus. Et contra multi possunt allegari passus, ubi nullus est sensus literalis, sed solummodo mysticus, ut patet in illo Judic. cap. 9. Iterum ligna, ut auferent supra se Regem, ibi enim nullus sanæ mentis dicit abesse sensum mysticum, intelligendo per ligna habitatores Civitatis Sichem, qui, ut in eodem loco exponitur, constituerunt Abimelech in suum Regem. Et in illo 1. Reg. cap. 2. num. 35. Et suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum, & animam meam faciet, ubi ly Cor, & Anima non potest nisi in sensu literali, quia Deus non habet, Cor, & Animam, sed solum in sensu mystico per voluntatem, & sic de innumeris similibus.

Quamvis sacræ scripturæ interpretatio doctrinalis, & Magisterialis secundum Sanctorum Patrum consensum possit fieri à viris doctis, & idoneis, ut patet de tot sacræ Expositoribus, & tenet Communis Doctorum; tamen interpretatio canonica, & infallibilis veri illius tenendi sensus, pertinet solummodo ad sanctam Matrem Ecclesiam; Communis inter Catholicos, & habetur expressè in Concilio Trident. sess. 4. in decreto de editione, & usu sacrarum librorum, ibi: "Præterea ad coercendam petulantia ingenia decernit, ut nemo sua prævidentia innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacræ scripturam ad suos sensus contorqueat, contra eum sensum quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesiæ, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione scripturæ sanctarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent: Qui contra venerint, per Ordinarios declarantur, & puniunt à Jure statutis puniantur."

Sacræ scripturæ legi nequit lingua vulgari omnibus alioque patriæ communi, ubi habentibus ad id legitimum licentiam, seu facultatem. Habetur expressè in Regula 4. Indici librorum prohibitorum, ubi insuper redditur ratio, ibi: "Cum experimento manifestum sit, nisi sacræ biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri."

Unde merito Clemens XI. die 8. Septembris 1713. in const. incip. Unigenitus Dei Filius: damnavit sequentes propositiones Paschalis Quænellii contentendis, male ab Ecclesia prohiberi ulli homini fidei, etiam laico, & fæminæ, lectionem sacræ scripturæ, ac præsertim Novi Testamenti in vulgari lingua: Propositiones injuræ sunt istæ, scilicet 79. in ordine: "Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria sacræ scripturæ. 80. ibi: Sacra scripturæ est pro omnibus. 81. ibi: Obscuritas sanctæ verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsis ab ejus lectione. 82. ibi: Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia sanctarum scripturarum; damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere. 83. ibi: Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fæminis lectione sacrarum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virosorum scientia ortus est scriptura-

rum abusus, & nate sunt hæreses. 84. ibi: Abrupte sine christianorum mæbulis Novum Testamentum, seu veris illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. 85. ibi: Interdicere christianis lectionem sacræ scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filii lucis, & facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis. 86. ibi: Eripere simplici populo hoc consolium jungendi vocem suam vocem totius Ecclesiæ, vest-usus contrarius præxi Apostolicæ, & intentionis." (Vid. verb. Constitutio Unigenitus.)

Sacræ scripturæ abutentes in sortilegiis, incantationibus, &c. Juris, & arbitrariis præsulis debent ab Episcopis puniri Conc. Trident. sess. 4. in decreto de editione, & usu sacrarum librorum. Sacram scripturam convertentes ad usum profanos, verba jocosa, scurrilia, fabulosa, vana; adulationes, detractiones, superstitutiones; sortes, libellos etiam famosos, &c. eodem modo puniri debent. Conc. Trident. loc. cit. 20. ibi: Innocentius T. 1. 6. cap. 11.

Sacræ scripturæ Lector, seu Expositor tenendus est in Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido. Concil. Trident. sess. 5. cap. 1. de reformat. Et talis Lector est examinandus ab Episcopo. Concil. Trident. cit. cap. 1. (Vid. addit. bis. pag. 51. lit. C.)

Sacræ scripturæ Lector tenendus est etiam in monasteriis Regularium, & Episcopus ut Pape delegatus potest ad hoc compellere Superiores. Concil. Trident. cit. cap. 11. At iste Lector pro monasteriis Regularium non debet, nec potest examinari ab Episcopo. Conc. Trident. cit. cap. 1. supra.

Sacræ scripturæ lectio in conventibus Regularium debet fieri bis in hebdomada, & ea finita, debet fieri collatio de illa; Clemens VIII. constit. 50. incip. Nullus, &c.

APPENDIX

NOVUS ARTICULUS

ADIMUS novum de sacræ scripturæ articulum, ut ea quæ brevitas causa ab Auctore bibliothecæ pretermissa sunt, fusius Lectoribus nostris exhibeamus. Hæc sacræ scripturam libros vocamus ab hominibus scriptos, quos Deus selegit, ac veluti ministrorum adhibuit, ut divino ejus verbo scripto hominibus manifestaret voluntatem suam. Librorum numerus est, quem Auctor ex decreto Concilii Tridentini descripsit. Nos vero paucis indicabimus controversiam, quæ hæc de re occurrerit inter Orthodoxos, & Novatores. Primum verò agemus generationem de sacræ scripturæ veritate, & integritate, & assistentia illa, qua scriptores sacri adjuvi divinos libros conscripserunt. Deinde de Canone sacrarum scripturarum, & de eo, ad quem spectat sacrarum scripturarum canonem decernere, & infallibilis auctoritate Ecclesiæ proponere. Præterea de sacrarum librorum versionibus, ubi etiam de lectione sacræ scripturæ in lingua vernacula. Denique regulas nonnullas exponemus, quarum beneficio erit, investigari, ac cognosci possit verus sacræ scripturæ sensus.

Duplici in sensu veram sacræ scripturam affirmare possumus, scilicet, prout verum ficitio, & supposito opponitur, & prout falso adversatur. Hæc in priori sensu sacræ scripturæ veritatem tuetur: Nam si hæc ratio vera, & integra statuatur, pro falsa haberi non potest; cum verbum Dei exhibeat quod falso subesse nequit: Nam Deus, infinite sapiens cum sit, falli nequit, & cum sit infinite bonus, nequit fallere. Facile vero ostendimus veros & genuinos esse, non vero suppositos sacræ scripturæ libros. Tales enim habendi sunt, si quovis seculo adscripsi Auctoribus fuerint, quorum nomen præferunt: Hoc enim argumento viri docti, atque critici, vera esse & genuina antiquorum

opera probant. Sed Mosi Synonim, & Prophetarum contant, ac subsequentium secularum homines, tamquam germanum illorum factum tradidere libros ab illis exaratos. Idemque christiani Apostolorum auctores docuerunt de libris Novi Testamenti, atque ita ad nostram usque aetatem non interupta serie factum testis. Hoc argumento usus Augustinus contra Manichaeos sacrarum scripturarum veritatem negantes lib. 28. contra Paustum, cap. 6. Videantur Daniel Huetius in sua demonstratione Evangelica, Natalis Alexand. tom. 1. re. hist. eccles. Alex. Mazzionelli de locis theolog. directi. 1. Elias Dupinus, aliique doctissimi Theologi, qui scripserunt adversus Hobbesium, Spinozam, & Isaacum Peyreyrum, qui post Aben Estam temerarium Scriptorem Judaeum duodecimi seculi, Pentateuchum Mosi abjudicare conati sunt: si enim invicissimis argumentis demonstrant, Pentateuchum esse genuinum Mosis factum; & aut singillatim ostendunt singulos cum Veteris, tum Novi Testamenti libros genuinos esse, aut regulas praescribunt, quarum usa id quisque facile demonstrare possit.

III. Sacra scriptura est etiam integra, saltem quoad partes essentielles. Primum id constat auctoritate simul, & rationibus. Sancti Hieronymi, qui quamvis in commentario in cap. 3. Epistolae ad Galatas in opposita opinione versari videatur, re tamen diligentius considerata haec scripsit cap. 6. Commentarii in Isaia: Si aliquis dixerit hebraeorum libros postea de Judaeis esse falsatos, audiat Origenem, qui in octavo volumine explanationum Isaiae huic respondit quaestione 21, quod numquam Dominus, & Apostoli, qui cetera crimina arguant in Scribis & Pharisaicis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticissent: Sin autem dixerint post adventum Redemptoris, & predicationem Apostolorum libros hebraeos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangelista, & Apostoli, ita testimonia protulerint, ut Judaei falsari erant: ergo nec ante, nec post Christi adventum corrupta est sacra scriptura Veteris Testamenti. Deinde fieri non potuit, ut Judaei sacros codices adulterarent nemine advertente, ac reclamante nemine. 1. Quia in singulis familiis saltem Tribus Levi, ut ipse consecratis ministerio Altaris, sacri libri reperiebantur, & Judaei ubique terrarum dispersi hos penes se religiose custodiebant, 2. Quia in eam corruptionem consentire etiam debilibus Auctores Versionis Septuaginta Interpretum, quae in substantialibus capitibus ab hebraicis codicibus non dissidet. 3. Quia credibile non est voluisse Judaeos sacros codices depravare, in quos tanto studio, & reverentia ferebantur, ut parati essent mortem potius subire, quam vel apicem in illis immutare, ut scribunt Josephus lib. 1. contra Appionem, & Philo apud Eusebium lib. 8. cap. 6. & 8.

IV. Quae autem argumenta Veteris Testamenti integritatem probant, ad libros quoque Novi Testamenti applicari possunt. Nam hujusmodi libri in rebus, quae ad fidem moresque pertinent, fidem sunt, & eodem modo reperiantur apud sectas, & Communiones aliquas sibi infensissimas, scilicet apud Nestorianos, Jacobitas, & Photianos in Oriente, & apud Catholicos tum Orientis, tum Occidentis, atque apud omnes Novatores. Et quidem si a Catholicis tentata fuisset depravatio, eam illis heretici exprobrassent, & vicissim heretici Catholici. Denique nec tempus, nec modus, nec Auctores hujusmodi depravationis proferri possint. Negari tamen non potest errata plura levioris momenti in sacros codices irrepsisse, quae incuriae, & ignorantiae Scribarum potius, quam Judaeorum, aliorumque malitia tribuenda sunt. Regulas praescribunt Auctores, praesertim ex Augustino lib. 11. contra Faustum, cap. 2. quarum usu corrigi, & expurgari sacri Codices possunt. Una vero atque tutissima regula est, judicium, atque sententia Ecclesiae, cui concedita sunt eloquia Dei, cui in custodiendo divinae revelationis deposito inerrantem privilegium concessum a Deo fuit, qui denique praesto semper adest divinus ille spiritus, qui ex infallibili Christi Domini promissione rectorus

est Ecclesiae Pastores usque ad consummationem seculi. Vnde Sacra Scriptura divina atque omnino infallibilis veritatis est: etenim integro complectitur Veteris, ac Novi Testamenti libros, quos Moses, Propheta, Evangelista, & Apostoli conscripserunt: conscripti vero ab istis libri divinae atque omnino infallibilis veritatem obtinent. Nam Sanctus Petrus Spiritu Sancto inspiratos, atque locutos ait sanctos Dei homines, Paulus ad Timotheum: cap. 3. omnem scripturam divinitus inspiratam asserit; atque Isaias: cap. 5. Jonas, aliique Prophetae palam testati sunt, se verbum Dei literis consignasse. Quis ergo dubitet divinam atque infallibilem praeseferre auctoritatem? Deinde in libris Mosis perspicui characteres doctrinae divinae revelationis. Nam Moses se a Deo missum praedicat, ac missionem suam, legem, & doctrinam, quam Deum nomine promulgat, tum miraculis, tum prophetia eventu comprobata, tum doctrinae sapientiae comprobata. Similia occurrunt in aliis Prophetarum libris. Nec de sapientialibus, & historicis libris dubitatio occurrere potest ulla. Tum quia sapientiales libri leges continent, & praecpta, quae homines dirigunt ad finem ultimum, qui alius non est, quam Deus ipse: leges enim & praecpta tradunt bene vivendi: Deoque per cognitionem & amorem adherendi, cum separatione sui a creaturis non minus, quam a se ipso. Doctrina haec, inquit Augustinus lib. 20. de Civitate Dei, cap. 23. si cum doctrina comparatur Philosophorum de fine & hominis felicitate disputantium, facile competierit inspiratio Deo conscripta. Tum etiam quia sapientiales ac historici libri, de quibus loquimur, primum ab Hebraeorum synagoga; deinceps a Christi Ecclesia veluti Deo inspirante conscripti suscepti fuerunt, atque in maxima veneratione habiti. Iis ergo characteribus muniti prodire, quibus constaret divinitus revelatam doctrinam continere. Neque enim praesumere aut suspicari licet, synagogam Judaeorum, quae vera Dei Ecclesia erat, & quae Deo docente dicerent in Verbum Dei, & hominum doctrinam distinguere, suscipere voluisse veluti divinos libros illos quos perspicue non nosset exaratos fuisse ab hominibus a Deo missis, & divino Spiritu inspiratis. Ac multo minus affirmari id poterit de Christi Ecclesia, cui peculiaris assistentia promissa, ac uberior privilegia concessa fuerunt.

VII. Eadem ratione infallibilis auctoritas tribuenda est libris Novi Testamenti, quos conscripserit viri a Deo missi ad praedicandum Evangelium, quales fuisse Apostolos, & Evangelistas nempe dubitat. In iis enim characteres divinae revelationis omnino conspiciuntur, ut nos in cap. 3. Articuli de religione naturali, & revelatione demonstravimus.

VIII. Venio nunc ad questionem expendam de inspiratione illa, qua inspirati sacri Auctores divinos libros conscripserunt. Pro rei claritate duplicem distinguere placet inspirationem, specialem unam, directionis alteram. Prior illa est, qua scripserit aliquid ita Dei spiritu agitur, ut ei per manifestationem, & revelationem ostendantur ea, quae scribit, & quae aliunde minime noverat: Posterior vero assistentia, & directio quadam est, qua Spiritus Sanctus praesto scriptori sit, ne scribendo in errorem incidat; atque hac in directione, sive assistentia, duo Spiritus Sanctus praestat. Primo ingerit ei constantem voluntatem vera scribendi; secundo eundem tanto lumine perfundit, ut errori obnoxius esse non possit in iis scribendis, quae noverat. Non dubito quin utrumvis inspirationis genus satis sit, ut sacris scriptoribus infallibilis auctoritas concilietur. His praemisissis.

Quaeritur, num Spiritus Sanctus scriptoribus suis inspiraverit tantum res, quas narrat, an etiam voces singulas, terminos, expressiones, & stylum? Res. Quamquam affirmans sententia non paucis Theologis placuerit, negans tamen aliis videtur probabilior; 1. quoniam modus ille inspirantis non est necessarius ad conciliandam infallibilitatem libris sacris. 2. Quia styli diversitas inter Scriptores sacros indicare

videtur oppositum. 3. Quia nec sacrae literae, nec traditio specialissima illam inspirationem docent, sed tantum sacros Scriptores ita spiritu Sancto dirigente scripsisse, ut minime potuerint in errorem labi. Legatur disert. P. Calmet praefixa secunda Epistola Sancti Petri, & Dupin in diss. preliminaribus ad sacram scripturam lib. 1. cap. 2. §. 6. Pro prima opinione videri poterit Mazzionellus dissert. 1. in sac. script. cap. 2. art. 2. ubi probat ex sacra scriptura & S. Thoma, voces quoque sacris scriptoribus divinitus suppeditas esse, quia Isaias cap. 50. vers. 4. ait: Dominus dedit mihi linguam eruditam; quia Christus dum misit Apostolos, ut docerent omnes Gentes, dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vobiscum scilicet verba proferens; & quia necessaria erat inspiratio verborum, ut unanimis esset Ecclesiae doctrina, & ut unanimis uno ore fideles honorificarent Deum, ut legitur ad Rom. 15.

VIII. Inquiri posse deinde de rebus & veritatibus his literis consignatis. Nulli dubium est, quin per immediatam, & specialem inspirationem cum divina revelatione conjunctam, ea scripta sint, quae sacri Scriptores minime noverat. At si sermo habeatur de rebus, quae ipsimet viderant & audiverant, ut plurimae in Utroque Testamento occurrunt, non fuit necessaria primi generis inspiratio; sed satis fuit ea, quam secundi generis diximus. In hac opinione versantur Cornelius Alapide Comment. in secundam epistolam ad Timotheum; Bellarm. lib. 2. de verb. Dei; Cano de locis theol. lib. 2. cap. 18. Simonius in histor. crit. N. T. cap. 23. & 24. & Dupinus loc. cit.

IX. Circa facta vero, ac res alias ad religionem minime pertinentes, non desunt, qui asserant literis consignata fuisse a sacris Scripторibus absque inspiratione, ac Sancti Spiritus directione, ut opinatus est Henricus Olden seculi 17. Scripтор, & Doctor Facultatis Parisiensis in Analysis Fidei lib. 1. cap. 3. Sed nova haec opinio est, ac Patribus, & Theologis omnibus contraria, ideoque veluti suspecta, temeraria, ac perniciosa, rejicienda est. Etsi enim finis principalis sacrae scripturae id est ea nos docere, quae ad Religionem spectant, tamen vel ipse finis postulat, ut nil fisci in sacris libris continetur, ne illa falsitatis admixtio praedictum afferat veritatis. Facile enim increduli ex falsitate factorum ad historiam pertinentium dubitare possent de veritate eorum, quae ad Religionem pertinent. Praeterea quis certo discerneret, an factum aliquid ad Religionem pertineat, nec ne; an veritas aliqua morale Christianam, & Religionem spectet, aut potius philosophiam, & oeconomiam? En igitur quam perniciosum aditum opposita sententia aperiatur; Vide Mazzionell. loc. cit.

X. Superest alia questio; num sacri Scriptores libere scripserint. Scio Auctores esse, qui contendunt voluntarie quidem, sed non libere scripsisse. At opposita sententia magis aridat, 1. Quia Deus solet hominibus tanquam instrumentis uti, modo, qui eorum naturae congruat; in sacris ergo scriptoribus libertatem, quae natura hominis propria est, servavit; 2. Quia facilis tum loquendi, tum scribendi, summam quidem ac maxime perspicuam in eorum mente rerum cognitionem arguunt, sed scribendi necessitatem in voluntate non probant; 3. Quia uberius, & efficacius auxilium, quo Spiritus Sanctus adjuvit sacros Scriptores, cum voluntatis libertate quammaxime cohaeret, ut docent Theologi in tractat. de divina gratia. Vid. Orig. lib. 1. de Princip. cap. 2. ubi variis argumentis hanc opinionem probat. Nec est alicuius momenti obiectio Abulensis, qui ait, Mosi nonnumquam scripturam fuisse hoc de semetipso elogium, si fuisse libet, erat Moses vir mittimus; nam id scripsit Moses, tum peculiari Spiritu Sancti afflatu, tum speciali Dei praeccepto; afflatus autem ille, praecceptum illud, cohaerent cum arbitrii libertate.

XI. De sacrorum librorum numero dictum est ab Auctore in superiore articulo, ubi Tridentini Concilii decretum profert. Dicendum vero nobis superest de canone, sive catalogo sacrorum librorum publica Eccle-

siae auctoritate condito. Nota res est libros sacros cum veteris, tum novi testamenti non fuisse omnes uno eodemque tempore conditos; constat enim ex veteris testamenti libris primum Mosis Pentateuchum, deinceps libros Josue, Paralipomenon, Regum, ac sequentibus saeculis alios scriptos a Prophetis fuisse, & ex libris novi testamenti Evangelia, Apostolorum acta, Epistolae, & Apocalypsis diversis temporibus scripta fuere. Nec statim ac in lucem prodire libri publica Ecclesiae auctoritate in canonem sacrorum scripturarum relati fuerunt. Nam Judaei ante Esdram nullum canonem sacrorum scripturarum habuerant; ac soli quinque Moses libri paulo post istius mortem in unum collecti fuerunt. Nam primum solus Deuteronomii liber, qui praecedentium quatuor summa est, repositus fuit in latere Arcae foederis, prout praecipit Moses Levitis Deuter. cap. 27. Deinde vero omnes quinque libri in unum collecti canonem publica auctoritate confectum exhibuerunt. Alii autem libri adjecti canonem non fuere, nisi post divisionem tribuum, quae post Salomonis mortem contigit, ut facile colligere est ex eo, quod Samaritani solos quinque Mosis libros pro canonicis habuerunt. Ita Dupinus, aliique viri Eruditi conjunctum. Neque in Ecclesia Christi fuisse statim libri omnes novi testamenti collecti, & in canonem relati; scimus enim a plerisque quatuor prioribus saeculis rejectos fuisse Apocalypsim, Epistolam S. Pauli ad Hebraeos, aliosque libros, & in Concilio Hipponensi anno 393. fuisse primum integrum sacrorum librorum novi Testamenti catalogum concinnatum. Ex iis vero colligitur, Deum non praecipuisse Synagoga, & Ecclesiae, ut sacros libros statim in canonem referrent scripturarum, sed eam curae, & diligentiae id commisisset, ac voluisse, ut nonnisi opportuno tempore hujusmodi catalogus concerneretur. Atque hinc patet injuria de auctoritate alicujus sacri libri dubitati, quia aliquibus saeculis in canone sacrorum scripturarum non fuit.

XII. Ad Judaeorum Canonem quod spectat, Eruditi omnes fatentur ab Esdra fuisse confectum. Sunt qui cum S. Basilio contendunt in Hierosolymitanae Urbis excidio, & templi incendio periisse omnes sacros codices, ab Esdra vero post captivitatem per 40. dies iterum dictatos fuisse quinque viros, affante Spiritu Sancto, omnes sacros libros; sed verisimilior habetur eorum opinio, qui ajunt, non periisse omnia librorum exemplaria, ac Esdras, cum esset scriba doctus, collatis invicem pluribus exemplariis, errata correxisse, quae in sacros codices irreperant, & postea canonem condidisse, qui magna synagoga auctoritate probatus fuit. In hujusmodi canone ex libris veteris testamenti desiderantur libri Tobiae, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, & duo Machabeorum; & in libro Danielis apud Judaeos deest hymnus trium puerorum, ac historia Susanae, Belli, Draconisque, & in libro Esther septem postrema capita.

XIII. Non desunt, quia alium quoque canonem deinceps a Judaeis conditum fuisse autumant. Serarius duos apud Judaeos fuisse canones ait, primum ab Esdra, & Synagoga, alterum vero vel cum septuaginta Interpretes in Aegyptum missi sunt, ut graecam versionem perficerent, vel quando questio de Resurrectione Corporum Sadduceos inter atque Pharisaeos agitata fuit. Genebrardus vero tres fuisse ab Hebraeis confectos canones asserit, primum ab Esdra probante synagoga; alterum a synagoga, quo tempore missi 70. Interpretes fuerunt, in quo repositi fuerunt libri Tobiae, Judith, Ecclesiastici, & Sapientiae tertium denique fervente de resurrectione disputatione, in quem duo Machabeorum libri relati fuerunt; sed haec paucis probantur. Licet enim libri, quos diximus, magno in pretio essent apud Judaeos Ellenistas, graeco scilicet sermone utentes, numquam tamen in canone Judaeorum extitere, ut ex Judaeis, & antiquis Ecclesiae Patribus novimus.

XIV. Etsi sex supra recensiti libri, ac Estheris capita septem, & nonnulla Danielis capita in hebraeorum canone non fuerant, tamen jure atque merito Tri-

dentina Synodus illos in canonem retulit. Nam quod in canone Judæorum non fuerit, argumentum non est non fuisse afflante Spiritu Sancto conscriptos; tum quia longo tempore extra canonem fuisse plures ex iis, qui in Canone Judæorum reperiuntur, ut supra ostendimus; tum etiam quia nonnulli sacri libri perierunt, ut ostendit Ferraris in superiori articulo. Ergo si alunde Ecclesie constet divinitus hujusmodi libros fuisse conscriptos, jure atque merito in canonem referuntur. Id vero constat, tum ex eo, quod apud Ellenistas Judæos in maxima veneratione essent; tum ex divina quam complectuntur doctrina; tum denique quia Ecclesia christiana per divinam traditionem accepit fuisse libros illos inspirante Sancto Spiritu exaratos. Nam semper in maxima veneratione habiti sunt in Ecclesia Christi, quæ dum in canonem repositi omnes Novi Testamenti libros, etiam libros hujusmodi in canone collocavit. Scilicet in canone Hipponeis Concilii anno 393. celebrati omnes isti libri recensentur: Hipponeis canon transcriptus fuit in Concilio Carthaginensi III. anno 395. in quo Patres consulendam censuræ transmarinam, hoc est, Romanam Ecclesiam; quæ eisdem libros probavit: Nam Innocentius primus in Epistola ad Exuperium Tolosanum Episcopum numerat omnes libros sacros, qui in canone ab Africanis Patribus recepti fuerunt: Et Africani PP. in altero anno 319. celebrato Concilio eundem canonem comprobant. Si alia cupis antiqua monumenta, quibus divinos esse hujusmodi libros comprobatur, consule eruditam dissertationem editam à P. Joanne Chrysostomo à S. Joseph de canone scripturarum divinaram. Ex quo constat jure meritoque Eugenium IV. in instructione pro Armenis, & Concilium Florentinum in decreto edito pro Jacobitis, quod includit etiam decreta pro Armenis, & Græcis, §. *Firmissime*, Syllabum exhibere sacerdotum liberorum, quem deinceps probavit Tridentina Synodus.

XV. Neque alicujus momenti est Novatorum oblectio ex eo deprompta, quod hujusmodi libros Judæi non retulerint in canonem: Tum quia id Judæorum negligentia tribui potest, quorum incuria nonnulli sacri libri perierunt. Tum etiam quia rationes non desunt, ob quas extra canonem hujusmodi libri essent. Nam libri Machabæorum, & Ecclesiastici, scripti fuerunt post confectum ab Esdra canonem: hujusmodi enim libri regnabunt Græcis conscripti fuisse, ideoque clauso jam canone. Quod vero spectat ad libros Tobie, & Judith, dici potest, vel hos Esdra ignorasse, vel in canone non collocasse, quia non erant scripti hebraica lingua, qua Deus Judæos allocutus fuerat; sed chaldaica. Idem dicimus de libro Sapientie, qui continet sententias Salomonis, græce tamen scriptas à Philone antiquiore, quem ferunt unum fuisse ex 70. Interpretibus. Et licet Ecclesiasticus, & primus Machabæorum perhibeantur hebraice scripti; tamen constat originale textus perisse, & græca tantum exemplaria supersedisse. Vide Nat. Alex. Huet. Dupin. Mazzinell. aliosque.

XVI. Circa versiones sacre scripturæ, vide citatos Auctores: Nos enim hic de sola scriptura in lingua vernacula nonnulla subjiciemus, ac postea regulas subnectemus, pro vero discernendo scripturæ sensu. Habes in superiori articulo relatas Indices, & damnatas hac de re ab Apostolica Sede propositiones. Ut autem appareat quam mens sit Apostolicæ Sedis, exhibeo decretum Sac. Congregat. Ind. 13. Junii 1757. prout legitur in nova editione Indicis librorum prohibitorum pag. 6. in additione ad Regulam IV. "Quod si hujusmodi librorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatæ, aut editæ, cum annotationibus desumptis ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis, catholicisque viris, conceduntur." Vides ergo, qua ratione legi non possit sacra scriptura in lingua vulgari: atque hinc intellige, quo in sensu damnatæ sint Quænellii propositiones. In illis enim statuit omnibus necessariam, & præceptam esse lectionem sac. script. & Ecclesiam reprehendit, quæ justis de causis promiscuam lectionem in lingua vulgari interdixit.

xit. Addi quoque potest, in Gallia, in Germania, in Britannia, ac in Polonia pluries prodisse biblias in lingua vernacula, ac toleratas fuisse ab Apostolica Sede promiscuam eorum lectionem, ex quo apparet, Apostolicam Sedem, remotis illis causis, ob quas juste interdixit lectionem sacre scripturæ in lingua vulgari, hujusmodi lectionem permittere.

XVII. Venio ad regulas, quarum usu investigari, erui, & dignosci possit verus sacre scripturæ sensus. 1. Ad sacre scripturæ lectionem nemo accedat, animo curioso, critico, aut superbo; sed religioso, submissio, ac docili, qui unico veritatis detegende, ac obtinende salutis studio feratur. 2. Intelligentia scripturæ, quantum fieri potest, ex ipsa sacra scriptura repetenda est, loca cum locis, vetus Testamentum cum novo, & obscura cum manifestis confodendo: ac præterea recurrendum est ad antiquos Ecclesiæ Patres, qui verum divinæ revelationis sensum ab Apostolis, aliisque viris divino Spiritu afflatis per traditionem acceperunt. 3. Tractanda est ab Origine in Evangel. Joannis per hæc verba: "Qui accurate scripturam legere voluerit, diligentiam præhibeat, oportet, observare necessarium cum sit, quæ dicuntur, à quibus, quo tempore, ut per totos sanctos libros invenimus personis apte tributum sermonem." 4. A literali scripturæ sensu non est recedendum, nisi ratio, & evidens causa moveat; alioquin actum esset de scripturis, & cuique fas esset à proprio, & naturali sensu ad figuratum, & allegoricum scripturam detorquere. 5. In allegoria, inquit S. Augustinus in Psalm. 8. hæc regula retinenda est, ut pro sententia præsentis loci consideretur, quod per similitudinem dicitur. 6. Ab eodem S. Doctore præscribitur lib. 3. de Doct. Christ. cap. 10. *Quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie refertur potest, figuratum esse cognoscatur.* 7. Interpretandam esse communi sanctorum Patrum sensu, ut inquit Tridentina Synodus, quæ monet etiam reprimendam illorum temeritatem esse, quæ ad profana quæque convertuntur, & torquentur verba, & sententia sacre scripturæ; ad scurrilia scilicet, vana, fabulosa, adulationes, detractiones, divinationes, sortes, libellos etiam famosos. 8. Ex sensu accommodato firmum desumi non potest argumentum ad probanda dogmata fidei, & morum, quia talis sensus non est Spiritus Sancti, sed hominis, nec scripturæ verbis immediate, vel mediate exprimitur: At ex sensu literali, & mystico desummi optime potest; cum hoc tamen discrimine, quod ex sensu literali semper, & in quolibet casu firmum argumentum sumitur, ex mystico vero sensu tunc tantum, cum talis sensus asseritur ab aliquo sacro scriptore, & ab idoneo interprete sacrarum scripturarum: Interpres vero ac legitimus scripturarum Juxta Ecclesia existit, cui concedita sunt eloquia Dei; supra vero potestas cum inerrantia privilegio est in Romano Pontifice Petri successore, qui ut Christi Vicarius sustentat, & ita regit Ecclesiam, ut nunquam portæ inferi adversus ipsam prævalere possint. Omisimus uberio rem disputationem de versionibus sacrarum scripturarum, quia de his satis à Lucio dictum est. Quod vero spectat ad Ecclesiæ auctoritatem, cujus judicio interpretari scriptura, & scripturæ Canon confici debet, vide quæ diximus in *arti. de Ecclesia, de Rom. Pontif. & de Relig. nat. & revel.*

## SCRIPTURÆ, SEU INSTRUMENTA.

## SUMMARIUM.

- Q**uor species sint scripturæ: publica, & privata: ad quot privatae reducuntur, & ex istis quales authentica, seu non authentica: quam probationem efficiant, & quomodo probanda, ad n. 39.  
 40. Instrumentum unde dicitur: quid sit proprie sumptum: dividitur in publicum & privatum: illud quid sit, à quo faciendum, ad n. 45.  
 Pri-

46. Privatum quid sit: publicum duplex est: definitur, protocolicum: transumptum, Originale, & exemplum in authenticum, & non authenticum, & quid sit utrumque, ad num. 55.  
 47. Plures solemnitates ad instrumentum publicum manu Notarii conficiendum requiruntur, & quas vires hoc habeat, demonstratur, ad num. 73.  
 74. Quæ solemnitates requiruntur, mortuo ante perfectionem sollemnium instrumenti Notario, qui ad partium petitionem protocolicum fecit, ut plena sit ejus fides ac si à priore Notario esset absolutum, ad numer. 80.  
 81. Quæ necessario ut transumpta seu exemplaria vim eandem probandi habeant ac Originaria, proponuntur, ad num. 85.  
 86. Quando invicem Actor & Reus edere instrumenta teneantur: quid si sint communia: quam probationem efficiant instrumenta inter se contraria: quid si in loco suspecto rasura sit facta: quomodo procedendum si fuerit deperditum, ad num. 95.  
 96. Quas penas incurvant scripturas falsificantes: à Cancellario Episcopi confessæ ubi asserunt: ut exhibeantur in Cancellaria, potest Episcopus præcipere, instrumenta, ad monasteria Monialium spectantia, ad num. 98.  
 99. Ecclesiastici non possunt cogi ad faciendam insinuationem in Cancellaria laicali instrumentorum dotarium, Monialium, Patrimoniorum & varia sumario referuntur, ad num. 108.  
 109. Novæ additiones inseruntur, ad num. 134.

SCRIPTURÆ aliæ sunt publicæ, & aliæ privatæ. Scripturæ publicæ generatim dicuntur omnes illæ, quæ publicam habent auctoritatem. Scripturæ privatæ è contra dicuntur illæ, quæ à privatis personis fiunt, nec aliàs publicam obtinent auctoritatem; Sic in re communis Doctorum, arg. cap. Si scripturam 1. c. Scripta vero 2. cap. Imputari 13. & cap. Si cautio 14. de fide instrumenti, cum similibus, Authent. Ad hæc de iis, Cod. de fide instrumenti, cum similibus.

1. Scripturæ publicæ, pro quibus ordinariè intelliguntur Instrumenta publica, sunt illæ, quæ per manus publicam, seu à publico Notario legitime, & cum debitis solemnitatibus conficiuntur; Authent. de Instrumentor. cautelis, & fide §. Sed etsi Collat. 6. cap. Scripta vero 2. de fide instrumentorum, cum similibus. Sed de his infra.  
 2. Scripturæ privatæ reducuntur ad tres species: quarum prima vocatur *apocha*, quæ alio nomine appellatur *chirographum*, & completur sub se *antapocham* & *tyngrapham*. Secunda dicitur *liber rationum*, & tertia *epistola*. Sic Bartolus in Authent. At si contractus §. Ut igitur Cod. de fide instrumenti. Jason in Repetit. leg. Admonendi n. 87. ff. de Jurjur. Mascard. de probationib. quart. 6. num. 26. & alii passim.  
 4. *Apocha* proprie accepta, est scriptura, seu chirographum Creditoris confitens de recepta à debitore re sibi debita. Et hæc alio nomine vocatur *Quietantia*, de qua fit mentio in lib. Plures 19. Cod. de fide instrumenti. Et Glossa ibid. verb. *Apochis*: sic expresse dicit: "*Apocha est de receptis, puta, Confitetur me recepisse tantum, & à creditore fit, & datur debitori.*"  
 5. *Antapocha* è contra est de solutis seu datis, & non de receptis uti *apocha*. Est sic *antapocha* est scriptura debitoris confitens se tantum, vel tantum solvisse nomine annui v. gr. census, pensionis, & de hac fit etiam mentio in cit. l. Plures 19. Cod. de fide instrumenti cit. Glossa ibid.  
 6. *Syngrapha* latino conscriptio est scriptura, seu scheda, quæ in alicujus rei fidem à pluribus describitur, & utriusque partibus tradi solet. Calvinus in suo magno lexico Juridico tom. 2. verb. *Syngrapha*: ubi insuper addit, quod in hoc syngrapha differunt à tabulis, quod tabulæ ab una parte tantum servari consueverunt.  
 7. *Liber rationum* est scriptura privata, quam quilibet sua sponte de datis, & acceptis sibi conficit; arg. l.

Si quis ex argentatis, §. Rationem, ff. de Edendo, juncta Glossa ibid.

Epistola est scriptura privata, quam quis alicui 8 absentem dirigit, seu mittit; Communis.  
 Scriptura privata alia est authentica, & alia non authentica. Scriptura privata authentica est illa, quæ licet originaliter sit privata, aliquibus tamen administris, seu supplementis, ac modis roboratur, & auctorizatur, adeo ut plenam fidem faciat in Judicio. Scriptura privata non authentica contra est illa, quæ caret omnibus similibus administris, supplementis, ac modis, sicque plenam fidem, ac perfectam probationem non facit; Sic in re Communis Doctorum.

Scriptura privata auctorizatur, seu redditur authentica pluribus modis. Et signanter redditur authentica per subscriptionem propriæ manus, ac trium testium adhuc viventium probatæ fidei, de bona fama. Talis enim solemnitas dat vires publici, & authentici instrumenti; leg. Scripturas, Cod. qui potiores in pig-nore, juncta Glossa ibidem in fine, tradente hos vulgares versiculos.

Cautio privata jam rino teste notata,  
 Hoc Jus est nata, quod cautio publice facta.

Dicitur autem notanter trium testium adhuc viventium, quia scriptura privata mortuis testibus subscriptis non facit amplius plenam fidem, nisi fuerit etiam subscripta per Notarium, aut sigillo authentico munita; cap. Scripta 2. de fide instrumenti. ibi: "Scripta vero authentica, si testes inscripti decesserint (nisi per manus publicam facta fuerint, ita quod appareant publica, aut authenticum sigillum habuerint, per quod possit probari) non videntur nobis alicujus fidei mitatis robor habere." Et ibi Glossa, & summarius ac Doctores communiter. Et concordat: "Authent. seu Novella 73. tit. 2. cap. Si vero moriantur omnes testes 7. Collat. 6."

Item scriptura privata authenticatur per appositionem sigilli authentici majoris magistratus ut Episcopi, Capituli, Principis, Civitatis, Judicis, seu illius, cujus officium est in illo loco publicis sigillationibus præesse, textu expresso in cit. cap. Scripta 2. de fide instrumenti. ibi: *Nisi authenticum sigillum habuerint, & Glossa ibid. verb. Authent. & Doctores communiter.*

Item scriptura privata authenticatur per subscriptionem factam manu publici Notarii, textu expresso, in cit. cap. Scripta, ibi: *Nisi per manus publicam facta fuerint: secus autem si dictam scripturam conficit, aut subscripsit Notarius, non ut Tabelio, seu ut persona publica, sed ut aliqua alia persona privata; tunc enim scriptura illa non acquiritur majorem auctoritatem, quam si fuisset confecta, aut subscripta à qualibet alia persona privata.* Pax Jordan. tom. 3. tit. de fide instrumenti, num. 6. allegans Rotam decis. 139. num. 4. part. 2. novis. Baldus in cap. Scripta numer. 5. vers. Sed ponet: Felin. ibid. num. 2. Mascard. de probation. conclus. 131. num. 9. & alii passim.

Item scriptura privata authenticatur ratione archivii publici; pro authentica enim habetur scriptura illa, quæ reperitur fideliter custodia in archivio publico, seu in loco, ubi solent reponi, & custodiri scripturæ publicæ; arg. leg. Census ff. de probat. Authent. Ad hæc, Cod. de fide instrumenti, cap. Ad audientiam 13. §. Nos igitur, de præscriptione. Pax Jordan. loc. cit. num. 11. Abbas in cit. cap. Scripta num. 6. Reiffenstuel loc. cit. n. 150. & 251. & alii.

Item scriptura privata authenticatur per ejus confectionem secundam morem, & consuetudinem regionis; consuetudo enim habet vim redendi authenticam scripturam, quæ aliàs non esset talis; argum. cap. Cum tanto 22. de consuetudine, cap. Cum dilectus 9. de fide instrumentorum, ibi: *Respondemus, quod si consuetudo illius patriæ obtinet approbata, ut instrumentis illius Regis fides adhibeatur, vos ea secure poteritis admittere, juncto ejus summario, in quo sic expresse dicitur Consuetudo loci facit instrumentum Authenticum.* Glossa ibi-